



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XVII. Argumentum. Probatur usus Coufessionis Sacramentalis, & secretæ ad aures Sacerdotum ab exordio Ecclesiæ, per omnia subsequenta sexdecim sæcula, Testimonio Sacræ Scripturæ, SS. Patrum,

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

Ad Ultimū respondetur, quod reconciliatio
23 peccatorum, quæ sit ab Episcopo, prout præscribitur in Pontificali Romano, non est absolutio à peccatis quo ad culpam; sed absolutio à pœnis spiritualibus, quibus ipsi peccatores publici sunt affecti ob eorum publica, & enormia peccata; quorum causa iisdem publica pœnitentia fuit injuncta; juxta tex. in cap. In capite. 50. dist. quem refert Fagnanus in cap. Manifesta. num. 3. de Pœnitent. & remission. ubi declarat tres species Pœnitentiæ, scilicet Solemnem, Publicam, ac Privatam; quas duas primas à solo Episcopo, vel alio per eum delegato, ait, esse imponendas; tertiam verò, à Confessario in foro Sacramentali, & secreto; adeò ex magis approbata opinione Canonistarum, ac Theologorum, quos

24 cumulat Fagnan. ibid. num. 18. non sit licitum Confessario imponere publicam Pœnitentiam in foro Pœnitentia, quamvis publica, & notoria peccata Pœnitens confessus esset, ne indirectè videatur frangere sigillum Confessionis. Igitur quando fit publicorum reconciliatio delinquentium, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam, non absoluntur à peccatis, sed à pœnis Ecclesiasticis, quibus ob peccata publica, & enormia erant irretiti, nempe censuris, & aliis inhabilitatibus; nam Ecclesia in foro externo, & publico, ut dictum est, non absolvit à peccatis quo ad culpam; quia talis absolutio est propria fori Sacramentalis, & datur à Sacerdote tanquam ministro Sacramenti Pœnitentiæ; ut in puncto respondet Maltius d. dist. 5. in 4. Sent. num. 465. subdens, quod nec Scurus, nec ullus Doctor, quem viderit, ait: Ecclesiam in hoc foro publico auctoritatem habere dimittendi peccata, sed bene illa puniendi, & corrigendi per Censuras, quando ad forum externum sunt deducta. Concordat Leo in Praxi Pœnitentiæ Part. 1. de Forma Votor. Vers. At non est eadem ratio pag. 22. dicens, quod absolutiones à peccatis jure divino exigunt Sacramentalem Confessionem. Et part. 4. in princ. Vers. Idemque; & multo magis, pag. 401. ubi docet, dispensationes esse concedendas in foro exteriori, præter culpam, quæ quando adeſt, necesse est, ut tollatur per Sacramentalem Confessionem, & in foro interiori.

Porro sæculis anteaſtis enormium culparum, publicè commissaſarum, & scandalum toti populo ingereſentium, publica Confessio, & publica Pœnitentia erat in usu, ut constat ex Historiis supra relatis, ac in Annalibus Ecclesiasticis, in quibus frequentia, eaque eximie pietatis, & contritionis habentur exempla, inter quæ illa Ludovici Pii Imperatoris, 25 Henrici IV. Germaniæ Regis, Sveonis Regis Daniæ; Guilielmi Primi Angliæ Regis, ac aliorum Principum pœnitentium, quos summam refert Spondanus in Indice ad Annal. Verb. Pœnitentiæ; & Rainaldus in eorundem Annalium prosecutione, Anno 1218 num. 36. de antedicto Othone Imperatore; & Anno 1339. num. 67. & seq. de Albuino, ac Martino Scaligeris, qui Episcopum Veronensem occiderant; necnon Anno 1345. num. 13. de Jacobo Rege Majoricæ, qui in Consistorio Papali coram Cardinalibus, & Clemente VI. Summo Pontifice publicè confessus est homicidium, quod in personam filii Arnaldi Domini Roccafolii commiserat, petens suppliciter veniam, ac absolutionem. Nunc recesserunt ab aula publicæ Pœnitentiæ, quamvis eas ad praxim iterum reduci, quando ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum, cupiat Concil. Tridentinum sess. 24. de Ref. cap. 8. & in Concil. Provin. Mediolan. Doct. Clericali Tom. I. Libr. IV.

nen. III. in tit. de iis, quæ ad Pœnitent. Sacramental. pertinent. §. Suadeat Episcopus, præceperit S. Carolus Borromæus; ac opere compleverit, dum Officiales Regios, à quibus ministri Curæ suæ Archiepiscopalis læsi fuerant, censuris irretitos, publicè pœnitentes absolvit in porta majori Ecclesiæ Metropolitana, ut narrat Giussanus in ejus Vita libr. 2. cap. 24. At, hodie raræ esse hujusmodi publicas Confessiones, ac pœnitentias, dicendum est, quia, ut scribit Jo. Majoric. in 4. dist. 14. q. 2. col. ult. nunc parum proficerent; & utinam non pauci essent, qui etiam à Confessione auriculari, ac secreta non abſtinerent.

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

Probatur usus Confessionis Sacramentalis & secretæ ad aures Sacerdotum ab Exordio Ecclesiæ, per omnia subsequentiæ sexdecim sæcula, Testimonio Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & Conciliorum: necnon exemplis ab Historiis, vitisque Sanctorum delumptis.

SUMMARIUM.

- 1 SS. Apostoli audiebant Confessiones Sacramentales.
- 2 S. Clemens Papa, & Martyr commendat Sacramentalem Confessionem.
- 3 S. Dionysius Areopagita reprehendit Confessarium nimis rigidum.
- 4 S. Irenæus agit de Confessione Sacramentali.
- 5 Exomologesis idem est ac Confessio Sacramentalis.
- 6 Gentiles cur adorari à Christianis virilia Sacerdotum dicerent?
- 7 Confessionis Sacramentalis usus in tertio sæculo, & num. 8. pro quarto sæculo.
- 9 S. Ambrosius in auscultandis Confessionibus Sacramentalibus assiduus.
- 10 Confessio usitata in quinto sæculo.
- 11 S. Jo. Chrysostomus Confessiones Sacramentales audiebat.
- 12 Sexti sæculi testes usitate Confessionis.
- 13 Septimi sæculi alii testes.
- 14 Pipinus Dux Neustria quanta humilitate accedebat ad Confessionem Sacramentalem Anno 631.
- 15 Octavi sæculi probationes usus Confessionis Sacramentalis.
- 16 Noni sæculi testimonia Confessionis prædictæ.
- 17 Gloria, Laus, & Honor, &c. ut in die Palmarum quis auctor?
- 18 Decimi sæculi probationes pro Confessionis praxi.
- 19 Undecimi sæculi de eadem testes.
- 20 Diabolus non potest propalare peccata Confessa Sacerdotibus.
- 21 S. Bernardus, & Magister Sententiarum testantur usum Confessionis Sacramentalis sæculo XII.
- 22 Concilium Lateranense IV. Anno 1225. præcepit semel saltem in Anno confiteri peccata.
- 23 Doctores de Confessionis Sacramentalis usu tractantes in sæculis XIV. XV. & XVI.

- 24 Petrus de Osma Hæreticus damnatus Anno 1478.
 25 Joannes Wicleff damnatus tanquam Hæreticus Anno 1438.

Diximus in præcedenti Decisione num. 2. Confessionem Sacramentalem esse faciendam secretè ad aurem solius Sacerdotis ex institutione, & mandato Christi, ut definitum est à Concilio Tridentino sess. 14. Can. 6. ibidem relato; qui quidem Canon tollit omnem dubitandi ansam; quia reddit hanc veritatem infallibilem, cum emanaverit in Concilio Oecumenico confirmato à Summo Pontifice, ut bene docet Pagnanus in cap. Majores. n. 36. de Baptismo; Nihilominus ad majorem studiorum intelligentiam, ac eruditionem, non me piget hic summam referre auctoritates, ac testimonia tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, quibus manifestè demonstratur, auricularem, & secretam Confessionem peccatorum ad aures Sacerdotis ab initio Ecclesiæ, ac tempore Apostolorum incœpisse, & semper continuatis temporibus fuisse in usu.

Et equidem pro primordio Ecclesiæ, facta Sacramenti Pœnitentiæ institutione à Christo Domino, ut ostendimus Decis. XII. num. 1. & 2. ejusdem Sacramenti administrationem exercuisse Apostolos, testantur eorum Acta cap. 19. vers. 18. in illis verbis;

- 1 *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos. Versio Syriaca legit offensas suas; quod, ut notat ibidem Tirinus, de secretis, & particulari Confessione, quæ sit in Sacramento Pœnitentiæ accipit Oecumenicus, Hosius, Ruardus, Tappetus, Gagneus, Baronius, Salmeron, Sanchez, Bellarminus, Valentia, à Lapide, & alii. Et cum scribat Jacobus Apostolus cap. 5. vers. 16. Confitemini alterutrum peccata vestra; & Evangelista Joannes in Epist. 1. cap. 1. vers. 9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus Deus, ut nobis peccata nostra dimittat: utique demonstratur usus Confessionis Sacramentalis ad aures Apostolorum, ac Sacerdotum subinde ab eis ordinatorum ad remittenda peccata confitentium; quia, ut ait Tirinus in Indice Tertio Controversiar. Fidei Controv. 23. num. 7. Sacerdotes non poterant rectè judicare de peccatis, nisi illa cognoscerent; cognoscere autem non poterant, nisi pœnitentes illa aperirent. Hinc S. Clemens Papa, & Martyr, qui fuit discipulus SS. Apostolorum Petri, & Pauli, juxta illud ad Philipenses cap. 4. num. 3. Adjuxa illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ; & qui Pontifex creatus fuit Anno Domini 93. Domitiani verò Imperatoris Decimo; in sua Epistola secunda ad Corinthios, loquens de Confessione Sacramentali, hæc habet: Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis, quæ in carne gessimus, ex toto corde respiciamus, ut à Domino salvemur; dum habemus tempus pœnitentiæ: Postquam enim è mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam agere: ubi per pœnitentiam intelligit satisfactionem, per Confessionem verò, secretam peccatorum coram Sacerdote accusationem. Sed & S. Dionysius Areopagita, qui pariter fuit Divi Pauli Apostoli discipulus, reprehendens Demophilum Sacerdotem, qui alium ei sua peccata confitentem rigide increpaverat, ac repulerat, Epist. VIII. ita scribit: Tu verò, ut tue Littere indicant, procidentem Sacerdotem Sacerdoti, impium, ut ais, atque peccatorem, nescio quo pacto, contra disciplina ordinem, adstans calce abiecti, ac repulisti: cum ille quidem verecunde (quod*

oportuit) sateretur, sed ad peccatorum remedia querenda venisse: neque exhorruisti insuper, & Sacerdotem optimum lacerare conviciis, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem, atque impium iustificasset. En itaque usus auricularis, ac Sacramentalis Confessionis in primordio Ecclesiæ, in primoque Christi nati sæculo; ut disserit Eminentiss. Cardin. Baronius Anno ejusdem Redemptoris LVI. Spondanus eodem Anno num. 6. & novissimè Gaspar Ivenim in Commentar. Histor. & Dogmat. de Sacramentis Dissert. 6. quest. 5. cap. 1. art. 2. §. 1.

Secundi verò sæculi, ejusdem Confessionis Sacramentalis usus testes sunt S. Irenæus, Tertullianus, ac Minutius Felix, qui eodem sæculo secundo vivebant. S. Irenæus Episcopus, & Martyr, qui S. Polycarpum Joannis Apostoli discipulum præceptorem habuit, scribens reversionem ad Ecclesiam quarundam mulierum Rhodanensium, quam Magus, nomine Marcus, seduxerat; libr. 1. advers. hæreses cap. 9. ait: *Hæ sæpissime converse ad Ecclesiam Dei confesse sunt; & de alia Diaconilla: omne tempus in Exomologesi consummarunt, plangens, & lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc Mago, corruptelam.* Per exomologesim autem veteres Patres temper intellexisse Sacramentalem Confessionem probat Eminentiss. Cardin. Baronius, & ejus compilator Spondanus d. Anno 56. num. 6. & 7. ubi ex eodem S. Irenæo libr. 3. cap. 4. in fin. advertunt, etiam Cerdonem Hæresiarcham sæpè exomologesim, idest Confessionem Sacramentalem fecisse; sed ad vomitum pravorum dogmatum esse reversionem. Tertullianus fuisse explicat, quid esset exomologesis de Pœnitentiæ cap. 8. & 9. describensque ibid. tres Pœnitentiæ partes, dolorem, Confessionem delictorum, ac satisfactionem, ita aperte loquitur de Sacramentali, auricularique Confessione, ut de ea nemo orthodoxæ mentis possit dubitare, teste Pamellio, & aliis doctissimis viris ab eodem Eminentiss. Baronio, & Spondano, ubi proximè allegatis. Sed & in libro de Baptismo cap. 20. Tertullianus demonstrat ejusdem Confessionis usum in illo tempore, dum narrata publica Confessione peccatorum suorum, quam tunc faciebant Catechumeni, subdit: *Nobis gratulandum est, si non publicè confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras.* Inluit in hanc veritatem Minutius Felix ejusdem Tertulliani contemporaneus, referens eolumniam in Christianos conflantem à Gentilibus, qui dicebant, ipsos adorare solitos virilia Sacerdotum; quia; ut exponit Eminent. Card. Baronius d. Ann. 56. cum illi ad eorum genera procumbentes, suaque illis confitentes peccata, summis veniam deprecarentur, apud Gentiles hæc non intelligentes, ejusmodi nefanda invaluit existimatio.

Tertii sæculi testes sunt sequentes circa usum Sacramentalis Confessionis, quos recensent Emin. Baronius, & Spondanus d. Ann. 56. n. 6. & 7. & Ivenim d. art. 2. §. 2. videlicet: Eusebius lib. 5. cap. 27. recitans, Natalium Hæreticum suam emologesim fecisse Romæ coram Zepherino Pontifice, qui Petri Cathedralis ascenderat Anno 203. eamque fuisse facturum Marcionem, nisi morte præventus impeditus fuisset, ut allerit Tertull. de Prescriptionib. advers. hæreticos. Origenes, qui vivebat Anno 226. pluribus in locis suorum operum de Sacramentali Confessione loquitur, quæ referuntur ab Emin. Card. Baronio, Spondano, & Ivenim ubi supra; & præcipuè Homil. 2. in Levitic. in illis verbis: *Est adhuc & septima, licet dura, & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum; cum læcet peccator in lacrymis stratum suum,*

sum, & sunt ei lacrymæ suæ panes die, ac nocte, & cum non erubescit, Sacerdoti Domini indicare peccatum suum. Et homil. 2. in Psal. 37. Data similitudine evomentium ad liberandum stomachum ab indigestione, ait de peccatore; Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. S. Cyprianus Episcopus, & Martyr, qui floruit Anno 250. frequenter loquitur de peccatorum Confessione; utpotè in libro de lapsis, dum ait: Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in saculo est; dum admitti ejus Confessio potest. Et infra: Apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientia faciunt, animi sui pondus exponunt, &c. Et Epist. 10. Secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, &c. & relictis pluribus aliis locis, per supracitatos Auctores relatis, Epist. 52. in fine subjungit; Apud inferos confessio non est, nec exomologesis illis fieri potest: qui ex toto corde penituerint, & rogaverint, in Ecclesiam debent interim suscipi. Sed hoc idem concludenter probat exemplum S. Fabiani Papæ, qui Pontificatum gessit ab Anno 238. usque ad Annum 252. noluit enim Sanctus Pontifex communionem Ecclesiasticam Philippo Imperatori Christiano impartiri, nisi prius confessus fuisset peccata sua, & inter pœnitentes se collocasset; ut tradit supracitatus Eusebius lib. 6. cap. 27. & referunt Eminentiſſi. Cardin. Baronius, ac Spondanus ad Annum Christi 56. num. 7. nec non Illustriss. Sarnelius in Basilicographia cap. 18. num. 5. Nec omittendus Lactantius Firmianus, qui in hoc tertio sæculo vixit; ipse enim lib. 4. Instit. cap. 17. comparat Sacramentalem Confessionem Circumcisioni Moysæ: ob pudorem partis, quæ erar denudanda; subdens: ob hanc causam Deus nudari eam iussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum peccatum haberemus, idest, ne quod pudendum facinus intra conscientie secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Propheta loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mensura est. Videns enim vitæ, ac salutis nostræ pro æterna sua pietate consilere, pœnitentiam nobis in illa circumcissione proposuit: ut si cor mundaverimus, idest si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus. Refertur etiam à Soro in 4. dist. 18. q. 1. art. 1. column. 19.

Quarti sæculi ampliora reddunt testimonia tum Latini, tum Græci SS. Patres, in eo viventes. Horum unus est S. Pacianus Episcopus Barcin. qui in 8 Parænesi ait: Tertio de his erit sermo, qui confessis bene, aperteque criminibus remedia pœnitentiæ, actusque ipsos Exomologesis administranda aut nesciunt, aut recusant: & subinde invehit contra illos, qui dimittabant Confessionem, tacentes præ verecundia aliqua peccata. Ergo Sacramentalis, & auricularis confessio eo tempore erat in usu. Idem confirmat S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, qui Commentar. in Matthæum de eadem agens, inquit: Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ iudicium pramissit, ut quos in terris ligaverint, idest peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, Confessione videlicet venia receperint in salutem, hi Apostolica conditione sententiæ in celis quoque absoluti sint, aut ligati. De S. Ambrosio Mediolanensi, & Ecclesiæ Doctore Paulinus Presbyter, qui ejus vitam scripsit, manifestè narrat, eum assiduam fuisse in audiendis Sacramentalibus plebis suæ Confessionibus; & tanta cum charitate, ut quotiescumque illi aliquis ob peccata peccandam

Doct. Clericati Tom. I. Lib. IV.

Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Hinc ipse Sanctus Doctor in libro de Paradiso, quem refert Scotus in 4. dist. 17. qu. Unic. in princ. ait: Non potest quisquam justificari à peccato, nisi ante fuerit peccatum confessus. In Orientali Ecclesia S. Basilus plura est de Confessione Sacramentali locutus; expressè autem Interrogat. 129. in illis verbis: Ut vitia corporis nequaquam quibusvis homines aperiunt, sed his tantum modo, qui rationem, quæ curanda sunt, teneant; eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, quæ ea possunt curare. Et inferius Interrogat. 228. Necesario iis peccata aperiiri debent, quibus est credita dispensatio Myſteriorum Dei. Et cum eo concordat S. Gregorius Nissenus in Oratione ad eos, qui durius, & acerbius alios judicant, dicens: Afflictionis participem, & socium sume Sacerdotem, & Patrem; audacter ostende illi, quæ sunt recondita, animi arcana, tanquam occulta vulnera Medico retere; ipse honoris, & valetudinis tue rationem habebit. Idem Sanctus in Epistola ad Leontium, Melitines Episcopum, cap. 5. hæc habet: Qui autem occulta subtractione sibi alienum usurpat, ac deinde per Confessionem peccatum suum Sacerdoti aperit; studio, quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit. Eorumdem Sanctorum loca alia confirmantur ab Emin. Card. Baronio, & à Spondano d. Ann. 56. num. 7. nec non ab Ivenino d. art. 2. §. 3.

Quinti sæculi crescunt de usu Sacramentalis Confessionis ad aures Sacerdotis faciendæ attestatio- 10 nes. Innocentius Papa I. in Epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum, data Ann. 416. cap. 7. sic loquitur: Ceterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, &c. S. Celestinus electus Papa Ann. 432. huiusmodi indixit Decretum, quod legitur in cap. Non debet. 30. q. 1. videlicet: Non debet Episcopus, vel Presbyter committere cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessi peccata; deinde subdit pœnam hoc facinus patrantibus. Ergo frequentabatur Sacramentalis, ac auricularis Confessio peccatorum. S. Simplicius electus Papa Anno 467. constituit, ut ad SS. Petrum, & Paulum Apostolos, ac apud S. Laurentium Presbyteri ibi manerent propter Pœnitentes, & Baptismum, teste Anastasio Biblioth. in Concil. Trinen. cap. 6. ubi ita caveretur: Qui occulte deliquerint, illis confiteantur, quos Episcopi, & plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint. S. Hieron. in eodem sæculo scriptus Ecclesiam illustrans meminit huiusmodi Sacramenti non semel, ut videre est apud Emin. Cardin. Bellarminum; hic ejus verba notanda lib. 3. in Matth. cap. 16. nempe cum exposuisset accessum leproforum ad Sacerdotes legis veteris: Quomodo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit: sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, & Presbyter, non eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, vel solvendus. Ampliora scribit S. August. relatus ab eodem Eminentiſſi. Bellarmino, ac Baronio, & Spondano ubi supra; notentur ejus verba Homil. 27. de Lazaro cap. 3. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat: sicut sunt homines in Confessione peccati agentes pœnitentiam; jam processerunt a morte: nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto, & tenebroso procedere est, &c. His consonat S. Leo Papa, qui in Epistol. 78. ad Universos Episcopos per Campaniam Anno 459. reprehendit illos, qui obligabant fideles

H 2

ad

ad confitendum publicè peccata sua occulta ad-
dens, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne mul-
ti à pœnitentia remediis arceantur. Sufficit enim illa
Confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdo-
ti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Ha-
betur in Vol. 2. Concilior. pag. 86. & legitur in cap.
Sufficit, de Pœnitent. dist. 1. Idem Sanctus Epist. 82.
subiicit: Mediator Dei, & hominum homo Christus JE-
SUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut &
confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem sa-
lubri Confessione purgatos ad Communionem Sacramen-
torum per Januam Reconciliationis admitterent. Præ-
clara verò sunt testimonia Divi Joannis Chrysostomi
magni Ecclesiæ Doctoris, qui mortem obiit
circa Ann. Domini 407, & ejus loca de Confessio-
ne allegantur per Spondanum d. Anno 56. num. 10.
ita dicentem: S. Joannes Chrysostomus multus est in
admonendis Sacerdotibus, ne quemquam permittant ad
mensam Domini accedere, quem aliqua improbitate, aut
sordibus teneri sciverint: idemque sæpe demonstrat fuisse
suis temporibus in Ecclesiâ & pœnitentes, & Presby-
teros, qui eis absolutionem criminum impertirent; ac
peccatorum Confessionem præcedere consuevisse Eucharis-
tiæ sumptionem. Non pigeat hic sequentia ejus-
dem Sancti Doctoris verba transcribere; videlicet
lib. 2. de Sacerdotio: Multa quidem arte opus est, ut
qui laborant Christiani, ultro sibi persuadeant Sacerdo-
rum curationi sese submittere oportere. Et Homil. 20.
Qui voluerit, ut decet, uti conscientia adjumento ad Con-
fessionem facinorosi festinare; medico ostendere ulcus,
qui curet, & non exprobet; atque ab illo remedia acci-
pere, & soli ei loqui nullo alio conficio. & omnia dicere
cum diligentia; facile sua peccata emendabit; Confessio
enim peccatorum abolitio est delictorum. Quid clarius
11 de usu Sacramentalis, secretæque Confessionis?
Ipse Sanctus adeo erat proclivis, ac paratus in au-
diendis Sacramentalibus Confessionibus, ut solitus
esset dicere populo: Si quando contigerit ex vobis pec-
care aliquem, accedit ad me dormientem; nimirum
pro Confessione faciendâ, & reportanda absolutione,
teste Metaphraste in vita ejusdem Sancti, quem
refert Eminentiſſ. Card. Baronius d. Anno 56.

Sexti sæculi tres testes observat, Sanctum Cæsa-
rium, Sanctum Gregorium Magnum, & Joannem
12 Patriarcham Constantinopolitanum. Sanctus Cæ-
sarius Arelatenſis, qui obiit Anno 540. in Homil. 14.
quæ legitur to. 8. Bibliothec. Patr. hortatus peccato-
res, ut de Dei misericordia non desperent; & ad
pœnitentiam recurrant, contra impœnitentes sic
loquitur: Si verò peccata peccatis caperit addere, &
animarum vulnera regendo, vel defendendo putrefcere;
quæ consuetudo, & pœnitentiam agendo curare noluit, ti-
mendum est, ne in illo impleatur illud, quod Apostolus
dixit: An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam
te adducit, &c. Ergo per Confessionem, utique Sa-
cramentali, & auricularem vulnera animæ cura-
bantur, idest peccata, quæ regendo putrescebant.
Sanctus Gregorius Magnus, qui vixit usque ad
Ann. 594. in Homil. 26. super cap. 20. Joannis, disse-
rit de necessitate Confessionis Sacramentalis ad si-
militudinem Lazari reviviscentis, quem Christus
jubet discipulis solvere à ligaminibus, & inter cæ-
tera Sanctus Pontifex ait: Intendendum est, quod illos
nos debemus per Pastoralem auctoritatem solvere, quos
Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam
vivificare. Quia nimirum vivificatio ante operationem
rectitudinis in ipsâ jam cognoscitur Confessione peccati.
Unde & hinc ipsi mortui Lazari nequaquam dicitur,

revivisse: sed, Veni foras. Omnis quippè peccator,
dum culpam suam intra conscientiam abscondit, inviro-
sum latet, in suis penetratibus occultatur: Sed mortuus
venit foras, cum peccator nequicias suas spontè confite-
tur. Et paulo post: Veniat itaque foras mortuus,
idest culpam confiteatur peccator; venientem verò foras
solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei penam debeant
amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod
fecit. En manifesta demonstratio usus Sacramen-
talis Confessionis prædicto sæculo sexto. Sed &
Joannes, appellatus Jejunator, qui Anno 586. ele-
ctus fuit Patriarcha Constantinopolitanus, in suo li-
bello Pœnitentiæ, sic inducit Sacerdotem loquen-
tem erga peccatorem: Spiritualis Fili, ego Confessio-
nem tuam primario, & præcipue non recipio, nec tibi
absolutionem concedo, sed per me Deus: cum secun-
dum multam, quæ exprimi non potest, ejus misericor-
diam, ita dixit: Quicumque ligaveritis, aut solveritis
super terram, erunt in cælis illa quidem ligata, hæc ve-
rò soluta. Revela igitur, & declara coram Sanctis
Angelis; nihilque me cæla eorum, quæ à te clam facta
sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confite-
ris. His stantibus, quis negare poterit prædicto
tempore in Ecclesiâ tum Occidentali, tum Orien-
tali usum Sacramentalis, ac secretæ Confessionis
peccatorum ad aures Sacerdotum?

Septimi sæculi testis est Theodorus Archiepiscopus
Cantuariensis, qui obiit Anno 690. qui reli-
quit Pœnitentialem librum, idest regulam impo-
nendi Pœnitentias confitentibus peccata sua, de
quo Pontificale Damasi in Vitaliano, nec non Ve-
nerabilis Beda in libello de remediis peccatorum,
in quo distinguit inter crimina publica, & occul-
ta; ac utrorumque Confessionem. Testis est Er-
bertus Archiepiscopus Eboracensis, qui consimilem
tractationem evulgavit, ut notat Ivenim d. Dissert.
6. quest. 1. cap. 1. art. 2. §. 6. ubi hanc ejusdem Er-
berti formulam Confessionis Sacramentalis tran-
scribit: Confiteor, quia peccavi nimis in sermonibus
vanis, & immundis, & turpibus, & oisius, ac nocivis.
Confiteor alias cordis mei & dolositates, & invidias, de-
tractiones, impatientias, convicia, contentiones, disjudi-
cationes, &c. Ulterius testis est Pipinus Dux Neu-
stræ Tutor Dagoberti Regis Francorum; de cujus
eximia Religione legitur in Vita S. Vironis Scotiæ 14
Episcopi, quod cum accederet ad Confessionem Sa-
cramentalem, sibi calceos detrahebat in signum re-
verentiæ, ac pœnitentiæ simul, ut narrat Surius die
8. Maji; & referunt Emin. Card. Baronius, & ejus
Compiler Spondanus, ac Rainaldus ad Annum
Christi 631. num. 8.

Octavi sæculi sequuntur testimonia Capitularis,
seu Instructionis ad Confessiones tum publicas, 15
tum Sacramentales secretas, quas statuerunt
pro Sacerdotum, ac plebium doctrina Chrode-
gangu Episcopus Metensis, & Isacius Episco-
pus Lingonensis, quorum Decreta de verbo ad
verbum transcribit Ivenim, d. §. 6. de quibus in-
vincibiliter convincitur, quod fideles populi confi-
tebantur ad aures Sacerdotum peccata sua fluenti-
bus ejusdem octavi sæculi annis. Concordant,
quæ scripsit S. Bonifacius Archiepiscopus Mogun-
tinus Zachariæ Papæ Anno 745. de Adelberto Gal-
lo hæretico, & hypocrita, qui populis coram se ge-
nueflexentibus, ut sua peccata confiterentur, soli-
tus erat dicere: Jam agnosco peccata tua, non est opus
aliâ Confessione, ut ad d. Annum 745. num. 27. ob-
servat Emin. Card. Baronius, qui subinde Anno
778.

778. *num. 23.* aliud porrigit testimonium, scilicet Albinum Alcuinum Anglum, Bedæ Discipulum, eoque vivente, qui, *Epistola sua 26. ad Scotos scripta*, repressit hæresim tunc insurgentem, ac docentem, Confessionem peccatorum non esse faciendam Sacerdotibus, sed soli Deo; unde deducitur certè, quod ipsa Confessio Sacramentalis eo sæculo erat in usu, dum eam hæretici destruere conabantur.

Noni sæculi eundem usum testatur Epistola 16 Theodulphi Abbatis Floriacensis, ac Episcopi Aurelianensis per eum scripta ad suum Clerum, & relata per Cardin. Baronium *ad Annum Domini 835.* in qua *a num. 18. & seqq.* agit de utilitate Sacramentalis Confessionis, quæ sit ad aures Sacerdotis, & hortatur Clerum ad ejus frequentiam. Prædictus Theodulphus est auctor Carminum: *Gloria, 17 Laus, & Honor tibi sit Rex Christe Redemptor, &c.* quæ canit Ecclesia in Processione Dominicæ Palmarum, ut notat Eminentissimus Baronius *ad d. Annum 835. num. 4.* composita ab eodem Theodulpho, dum Andegavi detineretur in carcere ob conjugationem adversus Ludovicum Pium Imperatorem; cumque ea cecinisset è fenestra carceris, cum Ludovicus illac transfret, adeo delectatus est versibus illis, ut continuo jussit eum liberari, & ob prærogativas ejus scientiæ, ac pietatis eundem ad Episcopatum Aurelianensem promoveret. Cæterum Magrius in *Hierolexic. Verb. Palmarum festum* negat, Theodulphum fuisse eorundem carminum auctorem, fretus auctoritate Alcuini, qui *lib. 1. de Divin. Offic. cap. 14.* ipsorum versuum mentionem facit, & tamen obiit secundum Cardin. Baronium Anno 804. ac consequenter triginta annis ante prædictam conjugationem; subdens propterea, Theodulphum Episcopum Aurelianensem una cum cæteris complicitibus fuisse è carcere liberatum occasione nuptiarum Lotarii Ludovici filii, ut refert Canisius *tom. 5. antiq. lexi. part. 3.* Antedictæ Epistolæ junguntur Canones Conciliorum hoc nono Sæculo sub Carolo Magno Imperatore celebratorum, videlicet Turonen. *Can. 22.* Cabilonen. *2. Can. 32. & Can. 45.* Parisien. *lib. 1. cap. 13.* & Vormatien. *Can. 25.* in quibus ex professo agitur de Sacramentali Confessione peccatorum ad aures Sacerdotum faciendæ; & partim reprehenditur incuria, vel inertia Sacerdotum in ipsis Confessionibus excipiendis, partim redarguitur pigritia populorum in eis frequentandis, ut quilibet legere potest in iisdem Canonibus, quos transcribunt Ivenius *d. art. 2. §. 6.* & Gonzalez in *Comment. ad cap. Omnis utriusque sexus. num. 7. de Pœnitent. & Remission.*

Decimi sæculi sufficit testimonium Radulphi 18 Flaviacensis, qui floruit circa Annum 910. & scripsit in Leviticum libros viginti; & libros 14. in Epistolas Divi Pauli. Hic *lib. 3. in Levit. cap. 7.* ad illa verba: *Qui non potest offerre oves, offerat similitam;* sic loquitur: *Quid est similitam? Nisi latentium cogitationum, & criminum, quibus peccator sibi soli notus est, per Confessionem expositio intelligitur. Quod in potestate habet, faciat. Similam offerat, & mala, quæ apud se celabat, per Confessionem Sacerdoti prodat; supra quippe diximus, cogitationum subtilitatem per Similam designari.* Igitur decimo sæculo crimina sua fideles Sacerdotibus Sacramentaliter confitebantur.

Undecimi Sæculi adhibendus testis Sanctus Petrus Damianus S. R. Ecclesiæ Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui vixit temporibus Gregorii VI. & successorum ejus, usque ad Gregorium VII. ad quos omnes Epistolas dedit; fuitque Vir Sanctus,

& devotus; ac pœnitentiæ, & austeræ vitæ amator ardentissimus; qua de causa post multiplices instantias obtinuit facultatem dimittendi dignitatem, & Episcopatum, ac se recipiendi in eremum, ut fufius scribunt Emin. Cardin. Baronius Anno 1061. & seqq. & Cardin. Bellarminus de *Scriptorib. Eccles. Anno 1060.* Hic itaque Sanctus *Serm. 58. de S. Andrea* hæc ait: *Quartus gradus est Confessio oris: hæc purè faciendæ est, quia non est pars peccatorum dicenda, & altera reticenda.* Addatur quod legitur apud Surium *die 19. Maji* de S. Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi inter ejus miracula Anno 1048. patrata: Dæmonem scilicet invasisse Juvenem Monachum, cujus lingua concurrentium ad illum videndum manifestabat occultissima peccata; at eorum, qui ad Sacramentalem Confessionem recurrabant, & redibant, non poterat peccata confessa manifestare. Erat igitur usitata Sacramentalis Confessio peccatorum sæculo undecimo.

Duodecimi Sæculi intrant duo testes omni exceptione majores. Unus est Sanctus Bernardus Abbas Claravallensis, Vir planè Apostolicus, & non minus gloria miraculorum, quàm sapientiæ splendore illustris, qui floruit Anno 1130. & obiit Anno 1153. ætatis suæ sexagesimo sexto. Hic in *Sermone ad Milites Templi cap. 12.* ita loquitur: *Quid de Bethphage dicam, ubi, & Confessionis Sacramentum, & Sacerdotalis ministerii mysterium continetur? Et quidem verbum in corde peccatoris operatur salutiferam contritionem: verbum vero in ore noxiam tollit confusionem, ne impediatur necessariam Confessionem.* Non absolvant (Sacerdotes) etiam compunctum, nisi viderint confessum. Alter testis est Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui eodem tempore floruit, hoc est Anno 1145. quo Gratianus, & sicut iste collegit Canones, & Canonistarum quasi Magister fuit; sic ille collegit sententias Sacrorum Theologorum, & Magister Sententiarum, ac Theologorum Scholasticorum dici meruit, & composuit quatuor libros Sententiarum, glossas Psalmorum, & Epistolarum. Porro tantus Auctor in *lib. 4. dist. 17.* multa scribit de Confessione, quæ illius usum pro sæculo XII. demonstrant; hæc verò tantum observet studiosus, Sicut enim (ait) præcepta est nobis interior Pœnitentia; ita & oris Confessio, & exterior Satisfactio, si adsit sinceritas. Unde nec verè pœnitens est, qui Confessionis votum non habet.

Decimi tertiæ sæculi non est opus testibus, dum in eo, nimirum anno 1225. habitum est Oecumenicum Concilium Lateranense IV. sub Innocentio Papa III. in quo editus est Canon *Omnis utriusque sexus*, qui legitur in *Decretali lib. 5. tit. 38. de Pœnitent. & Remission.* in quo dispositum, & omnibus fidelibus fuit intimatum, quod omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad Annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in Anno proprio Sacerdoti, & insunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere.

Nec dicant sectatorum aliqui, tunc primum institutam fuisse ab Ecclesia Romana Confessionem Sacramentalem. Quia cum in dicto Concilio interfuerint Archiepiscopi septuaginta, inter quos Patriarchæ duo, Constantinopolitanus scilicet, ac Hierosolymitanus, pluresque Prælati Ecclesiæ Orientalis; item Episcopi quadringenti, & duodecim; ac etiam Abbates, Prælatique Regulares octingenti, & ultra; ut notat Illustriss. Baptaglinus in *Hist. Univers. Concilior. Ann. 1215. num. 6.* quomodo fieri potuit,

potuit, ut nullo contradicente ederetur ille Canon, si antea ceteris sæculis Confessio Sacramentalis, & auricularis in utraque Ecclesia Latina, & Græca non fuisset usitata, & de Præcepto? Sed circumscriptis tot, & tantis testimoniis, quæ hucusque recensita sunt, clarè constat ante editionem hujus Canonis Confessionem Sacramentalem in usu fuisse ob Bullam ejusdem Innocentii Papæ III. intimationis Cruciatæ ad redimendam Terram Sanctam, incipien. *Ad liberandam*, quæ in Bullario est XII. & ultima; concedens Indulgentiam euntibus ad militandum, vel adjuvantibus hoc bellum, contritis tamen, & confessis peccata sua. Ergo ante editionem Canonis *Omnis utriusque sexus* recepta erat in praxi per totam Ecclesiam Sacramentalis Confessio peccatorum.

Decimi quarti tandem, ac decimi quinti, & sexti sæculorum non egemus testibus; quandoquidem extant plurimi, ilque eximii Ecclesiæ Doctores tam Scholastici, quam Canonistæ, qui de Sacramentali, auricularique secreta Confessione peccatorum tractant, ejus usum, ac necessitatem demonstrantes; quales sunt Angelicus Doctor Sanctus Thomas ac Seraphicus S. Bonaventura, qui floruerunt Anno 1265. & scripserunt super 4. Sentent. dist. 17. Joannes Duns Scotus Anno 1300. Durandus An 1320. Mayron, Liranus, & Paludanus eodem tempore, Joannes Andræas Canonistarum Coriphæus Anno 1330. & Baldus Anno 1390. Antonius de Butrio, & Franciscus Cardinalis Zabarella Patavinus Anno 1410. Nicolaus Abbas Panormitanus, & S. Antoninus Archiepisc. Florentinus Anno 1440. & omnes Fælinus, Sandæ, Cardinali Cajetano, Sylvestro, ac Tabiena Summistis Anno 1500. ac aliis multis; confirmatur constans praxis totius Ecclesiæ Catholicæ, ac fidelium confitendi Sacerdotibus secretè peccata, & ab iisdem absolutionem recipiendi tum per Bullam XVII. Sixti Papæ IV. incipien. *Licet ea*. datam die 9. Augusti Anno 1478. in qua damnatus fuit tanquam hæreticus Petrus de Osma Hispanus, qui scriptis impugnauerat eandem Sacramentalem Confessionem; asserens solam cordis contritionem sufficere ad delenda peccata; tum per aliam præcedentem Bullam Martini Papæ V. incipien. *Inter cunctas diei 22. Februarii 1438.* per quam confusilem errorem inter ceteros Joannis Wicleff anathematizavit, juxta Decretum Concilii Constantiensis sess. 8. tom. 4. Concilior pag. 269. tum demum per definitionem Concilii Trident. de Confessione cap. 5. & de Pœnitent. Sacram. Can. 6. in sess. XIV. quæ habita fuit sub Julio Papa Tertio die 25. Novembris 1551. ubi statutum fuit, *Anathema esse, negare necessitatem Sacramentalis Confessionis, vel dicere, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum.*

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, an in Casu necessitatis, absente Presbytero, licitum sit confiteri peccata coram Laico? Proponuntur Auctoritates, Rationes, & Exempla pro opinione affirmativa. Resolvitur disputatio sub distinctione; ex qua desumuntur responsiones ad argumenta contraria. Docetur, quid esset antiquitus Reconciliatio

publica Pœnitentium? Horum quinque gradus demonstrantur; & ostenditur, quo tempore cessaverit usus Pœnitentiæ publicæ, & qua de causa?

SUMMARIUM.

- 1 Alterutrum significat ad invicem.
- 2 Canones dicentes confiteri posse Laico.
- 3 Glossæ idem asserentes.
- 4 Magister Sententiarum ejusdem opinionis, Declarat, num. 27.
- 5 Rationes suadentes, Confessionem fieri posse Laico.
- 6 Exempla hoc idem confirmantia. Et num. 30.
- 7 Angli milites peccata sua ad invicem confitentur.
- 8 Diabolus in obsessio, qui manifestabat peccata adstantium.
- 9 Laico confiteri non licet ad habendam absolutionem: secus ad excitandam contritionem; vel habendam consilium; & num. 13.
- 10 Sacerdos qui non est, non potest absolvere à peccatis.
- 11 Lutheri error circa absolutionem in peccatis.
- 12 Laicus audiens Confessiones puniendus est in S. Officio Inquisitionis.
- 14 Laico confiteri nullo modo expedire videtur.
- 15 Laicus audiens Confessionem an sit obligatus ad sigillum?
- 16 D. Jacobus cap. 5. vers. 16. declaratur.
- 17 S. Augustinus in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. exponitur.
- 18 Confessio coram Laico non est de præcepto: est repetenda coram Sacerdote.
- 19 Titulus coloratus non prodest pro absolutione data à Laico.
- 20 S. Augustinus in cap. Sanctum de Consecr. dist. 4. declaratur.
- 21 Reconciliatio publica. Pœnitentium quomodo, & à quibus fieret?
- 22 Antiquitas Orationum Ritualis Romani in commendatione anime.
- 23 Laicus an possit absolvere ab excommunicatione?
- 24 Cap. Fures, 13. q. 2. declaratum.
- 25 Contritio sola quando sufficiat pro recipienda S. Eucharistia.
- 26 Glossæ errantes circa Confessionem peccatorum.
- 28 Differentia inter necessitatem Baptismi, & Confessionis.
- 29 Attritus potest fieri contritus ex Dei auxilio absque Confessione.
- 31 Canones Pœnitentiales antiqui.
- 32 Pœnitentium publicè olim gradus quinque.
- 33 Pœnitentia publica usque ad quem sæculum fuerit in usu?

Sed hic dubitare aliquis posset, an in casu saltem necessitatis, deficiente Sacerdote, licitum sit pœnitentibus confiteri Laico peccata sua? Affirmativa sententia probatur Auctoritate, Ratione, & Exemplis. Siquidem Auctoritas desumitur.

Primò ex Epistola Divi Jacobi cap. 5. vers. 16. ubi ait: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Sed in his verbis nullam mentionem facit de Sacerdote. Ergo confessio fieri potest etiam Laico. Tandò magis, quia alterutrum in jure significat ad in vi-